



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 242. An & quis error impediat consensum ad emptionem requisitum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

vendatur. Pro quo citat Morlam in *empor. Jur. p. 1. tit. 9. qu. 1. num. 6.* Dianam *Tom. 1. tr. 2. de immunit. eccles. resol. 8.* citantem plures alios, qui etiam videri potest *Tom. 4. tr. 1. resol. 3.* ubi multis probat ecclesiastica lege seculari cogi non posse ad vendenda intra certum tempus bona immobilia. Estque ratio tam hujus posterioris quam prioris, quod in necessitate omnia debeant esse communia, ut *Gl. in can. discipulos 26. de consecrat. dist. 5.* & jure etiam divino & naturali tenetur, quisque fame laboranti succurrere juxta *can. pasce. dist. 86.* ubi tamen sermo est de fame seu necessitate extrema. Quod dictum hoc in puncto de venditione, idem intelligendum etiam de emptione. Ad hanc enim etiam invitus quis cogi potest, exigente ita bono communi, cui cum omni possibili modo prospicere tenetur Magistratus, poterit haud dubie compellere subditos etiam privatos ad emendum. Abb. Laym. *Castrop. LL. cit.* cum communi. Imperando illis, ut imminente obsidione, caritate, peste, provideant sibi de vitæ necessariis, aut etiam de instrumentis aliisque ad obsidionem sustinendam requisitis. *Mull. l. c. lit. 2. & 3.* cum communi. Ubi etiam, quod nobiles habentes jus coquendi cerevisiam non possint cogere rusticos suos ad emendam apud se cerevisiam talem qualem, quin alibi eam pro libitu suo quarere possint. De cætero quid dicendum de monopolis, vi quorum coguntur subditi apud unum emere necessaria an & quando illicita, vide apud *Castrop. tr. 33. d. 5. p. 34.*

Quest. 242. An & quis error impediat consensum ad contractum emptionis requisitum?

1. **R**esp. primò in genere: Error: cum excludat cognitionem & scientiam illius, circa quod versatur, consequenter etiam excludit voluntatem & consensum, *l. 4. §. fin. ff. si quis cautionem. l. 15. de jurisd.* adeoque impedit contractum emptionis & venditionis. Hujus generalis dicti limitationes & declarationes dabunt sequentes responsiones.

2. **R**esp. secundò in specie: Primò error contingens circa substantiam personæ, cum qua contrahitur, sicut impedit & nullos reddit contractus alios, ita & contractum emptionis. Siquidem volens contrahere & obligare se Titio, non contraxit & obligavit se Cajo, dum hunc erroneè putavit Titium, quia defuit consensus cum eo contrahendi. Secus regulariter est, dum erratur circa qualitatem personæ, ut dum venditor vendit Titio, quem putavit esse divitem & facilis solutionis qualis non est. Quod tamen fallere in contractu cum furioso, quem emptor putabat esse sanæ mentis, ait *Muller. h. t. th. 8. lit. 6.* quamvis *Lauterb. h. t. §. 107.* dicat, talem emptionem esse nullam non propter errorem emptoris, sed propter venditoris furorem, adeoque ob defectum consensûs liberi illius. Fallit tamen, dum quis certâ qualitati affixit suam voluntatem, ita ut nisi eam habeat, Titius non velit ei vendere. Quemadmodum dum dicitur de contractu matrimonii, eum non valere, dum quis internè habet hunc animum: duco te, quia puto te esse nobilem, & si non es nobilis, non duco te: tunc enim talis qualitas transit quasi in substantiam. Sed neque officit error dum est in solo nomine, modò de persona constet. Nomina enim significandarum rerum gratiâ inventa sunt, quæ si ab alio quolibet modo intelligantur, nihil interest, pro ut dicitur, *§. 29. Inst. de legat. Sec. R. P. Lenn. Jur. Can. Lib. III.*

cundò error commissus circa ipsum contractum vitiat illum. V. g. dum Titius promittit rem locandi gratiâ; Cajus verò promittit pro ea emenda pecuniam, nulla est locatio, nulla emptio. *Lauterb. §. 106. Mull. l. c. th. 9. lit. 2.* Tertio, dum error est in pretio. V. g. venditor majus, emptor minus pretium intelligit, impeditur contractus, *l. 9. ff. de contrab. empt.* *Lauterb. §. 108.* Quarto contractus emptionis nullus est propter defectum consensûs, dum error versatur circa ipsum corpus seu substantiam rei venditæ in individuo. V. gr. ego puto mihi vendi fundum A. & tu vendis mihi fundum B. *cu. l. 9. Lauterb. §. 109.* quod etiam procedere videtur, dum uterque fundus est æque bonus, & ego etiam loco fundi A. æque libenter emissem fundum B. Idem est, dum convenitur quidem de eodem corpore, erratur tamen in tota ejus materia. V. g. emitur vitrum pro gemma, acetum pro vino. *Muller. cu. th. 9. lit. 6. Lauterb. loc. cit.* qui tamen ex *Mudæ, ad tu. de contrab. empt. num. 8.* ait, distinguendum in hoc puncto inter corpus non artificiale & non artificiale; eo quod, cum in hoc potissimum spectetur artificium, non ita consideretur error circa materiam. Si verò error non sit in tota materia, sed solum in parte illius. V. gr. res vendatur pro aurea, quæ tamen est ex parte anea, subsistere adhuc emptionem juxta *l. 4. §. 14. ait Franzk. h. t. num. 52. & Lauterb. §. 111.* qui tamen addit limitationem: modò res pro aurea vendita tantum auri contineat, ut aurea dici valeat; si verò tantum æris, ut anea dici possit, non subsistere emptionem *Arg. l. 41. ff. de contrab. empt.* item *Muller. l. c. lit. 6.* aliam adjiciens limitationem: modò pretium ad æqualitatem reducatur, vel venditor tantum præstet, quanti emptoris interest, *l. 21. §. 2. ff. de act. empt.* Quintò si error versetur circa rei integritatem & deteriorationem. V. g. si ematur res, quæ putatur adhuc integra, seu in statu, qualis ante hac fuerat, cujus tamen modò plures partes integrales perierunt, emptio nulla erit, si major pars illius perierit; si verò tantum pars minor dimidiâ parte, subsistit emptio, & cogitur emptor eam retinere, pretio tamen ex arbitrio boni viri diminuto. *Struv. ad ff. tit. de contrab. empt. th. 9.* citans *Molin. tr. 2. de 7. §. 7. d. 340. n. 17.* vide etiam *Lauterb. h. t. §. 17.* ubi de venditore quàm emptore, vel etiam solo emptore, qualiter valeat venditio. Idem de re aliter deteriorata dicit *Muller. ibid. lit. 6.* unde monet, ut, si res vendenda sit in alio loco, dubiumque sit emptori num sit adhuc in eodem statu, in quo fuerat ante aliquot septimanas, an verò deteriorata, cautus sit emptor, ne simpliciter ineat contractum, sed addat hanc conditionem: si in eadem bonitate fuerit. Unde jam etiam si quis ex errore emit aut vendidit pecus morbidum, subsistit emptio, & id tantum ex pretio recuperabit emptor, quanto minoris, si vitium scivisset, emisset. Si verò venditor scienter reticuit vitium, debet præstare omnia detrimenta, quæ ex ea emptione contraxit emptor, *l. 13. ff. de act. empt.* *Muller. loc. cit. th. 10.* qui tamen etiam addit, quòd si venditor putans rem non esse vitiosam vendidit eam, asseverando non esse vitiosam, venditorem non excusandum; cum non facile debuit asseverare, quæ ignorabat, juxta *cit. l. 13. §. 3.* Sextò si error versetur circa qualitatem rei legalem, seu dependentem à jure, ob quam res non est in commercio. V. gr. quia est sacra, publica &c. contractus emptio-

emptionis de tali re ab ignorantibus initus omnino nullus est, & pretium emptori restituendum. Idem est, si solo emptore ignorante initus, sed tunc in super emptori competit actio ex empto, vi cuius consequatur id, quod ejus interest, ne deciperetur à venditore. Struv. *loc. cit.* Si vero error est circa qualitates naturales. V. g. ematur vinum Gallicum deterius pro Rhenano, servus iners pro indutrio & artifice, corrupta pro virgine &c. non vitiat emptio; competit tamen emptori actio ex empto adversus venditorem ad id, quod interest. Struv. *loc. cit.* Muller. *ad illum, th. 9. lit. n.* Secus est tamen, seu emptio est nulla, si committatur error circa sexum, ut si quis putet se emere masculum, dum sit femina, l. 11. §. 1. ff. de *contrab. empt.* Franzk. *ad emnd. t. num. 64.* Lauterb. *ibid. §. 112. in fin.* Muller. *l. c. lit. 9. §. 1.* eò quod licet sexus quò ad hominem naturaliter consideratus sit quædam qualitas, ut Muller. si tamen homo non præcise, sed in statu suo tali in emptionem veniat, sexus materiæ rationem habet ac proinde ad substantiam masculi & feminæ pertineat. Porrò circa hæc notandum, quòd licet contra venditorem scientem, vel crasse errantem, (idem enim in jure reputantur scire & supinè ignorare,) competat emptori actio ad interesse, & quandoque etiam ad rescissionem contractus, dum nimirum id in specie id permittit, aut fortè non interest rem habere, accedente insuper adversarii dolo, ob quem magis quàm ob errorem rescindatur contractus. Ubi tamen venditor non supinè ignoravit, non tenetur emptori ad interesse, sed tantum ipsius rei nomine, ut nimirum tantum restituatur vel detrahatur à pretio, quanto ob defectum qualitatis minus valet; ita Lauterb. *cit. §. 112.* Septimò, si error sit circa accessoria, nimirum quæ vice accessionis rem venditam sequuntur, emptio non vitiat, l. 34. ff. de *contrab. empt.* sed virtute rei principalis, in quam consensus, sustinetur negotium etiam quò ad accessiones. Struv. *h. t. th. 11. §. ibid.* Muller. *lit. n.* Lauterb. §. 13.

Quest. 243. An de substantia emptionis & venditionis sit certa verborum forma aut scriptura?

Resp. Regulariter loquendo nec certam verborum formulam, ut stipulatio, nec etiam litteras aut scripturam ad sui constitutionem seu essentiam requirunt venditio & emptio; cum scriptura ad nullius contractus alteriusve actus substantiam de jure requiratur, nisi in casibus in jure expressis; eam autem requiri ad substantiam emptionis venditionis jus nullibi requirit. Abb. *in c. 1. de his. quæ sunt à Pralat. num. 4.* Molin. *de 7. §. 7. tr. 2. d. 468. num. 7.* Pith. *h. t. num. 1.* Wiestn. *num. 9.* Reiffenst. *num. 15.* cum communi juxta l. 1. §. fin. C. *h. t. l. 17. C. de fide instrum. l. 4. ff. de pign.* Unde dum passim ab AA. dividitur in scriptam & non scriptam non est divisio substantialis aut naturalis, sed accidentalis, ut Lauterb. *in ff. de contrabend. empt. §. 4.* Sed neque est de ejus substantia, ubi ex conventionione inter emptorem & venditorem, vel sine tali conventionione ipso facto confectum est scriptum vel etiam instrumentum, modò isti confectioni contrahentes suum consensus non alligaverint, uti, ubi de hoc nihil expressum aut etiam id ex circumstantiis non colligitur, factum præsumitur; cum quisquis præscindendo à tali expressione, juxta naturam contractus velle contrahere, & quod ut plurimum sit, in dubio factum esse censetur. Adeoquè in eo casu

censendum, talem scripturam adhibitam solum, ne temporis longinquitate excidat memoria celebrata venditionis, ut ubi necesse est, per eam facta probari possit, & ita docent Salaf. *de empt. du. 65.* Tusch. *v. contractus. concl. 99.* Vasquius *illust. controvers. l. 1. c. 28. n. 23.* Haunold. *Tom. de 7. §. 7. tr. 10. c. 1. controv. 4. n. 15.* Wiestn. *h. t. num. 9.* Sed neque, dum emptio & venditio jam perfecta in scripturam redigitur solius probationis gratiâ, eam dici fieri in scriptis, ait Lauterb. *ad ff. h. t. §. 6.* citans Carpz. *p. 2. conf. 33. defens. 13.* Sed dum partes, uti possunt, expresse vel tacite conveniunt, sese non nisi in scriptis contrahere velle, ita ut ante scripturam seu instrumentum venditionis & emptionis undequaque perfectum nulla nascatur obligatio. In quo casu venditio nulla est, semperque penitentia locus est, (idque etiam datâ arrhâ in signum contrahendæ emptionis, quam tamen amittit emptor, ubi, etiam necdum confectâ scripturâ, non vult emere. Lauterb. §. 5.) usque dum dicta scriptura, sive per Notarium, sive manu contrahentium, vel ab altero eorum subscripta, hoc est, omni ex parte perfecta, (& ut addit Muller. *loc. cit. th. 2. lit. e.*) coram venditore & emptore lecta, in princ. *Inst. h. t.* quia à contrahentibus nihil actum censetur, quamdiu aliquid agendum superest, juxta *L. cum Silianum. C. de his quib. ut indig.* & ita tradunt. Molin. *loc. cit. d. 337. n. 5.* Wiestn. Muller. *LL. cit.* Carpz. *loc. cit. n. 12.* Lauterb. §. 5. qui etiam §. 4. quòd in eo casu scriptura non requiratur ut causa efficiens influens in effectum, sed tanquam causa sine qua non, sive ut conditio, in quam consensus contrahentium differtur, & quâ posita ipse perficiatur, eoquè purificato, contractus venditionis & emptionis perficitur. Et sic potiùs ipsa conventio seu actus conventionis de futura venditione differtur in tempus perfectæ scripturæ, dum aliâ, ut idem, in venditione conditionali, non tam actus, quàm ejusdem perfectio obligatoria seu vis obligandi in futurum differtur de restrictione contrahentium ad scripturam vide Muller. *th. 21. fult.*

Quest. 244. Quotupliciter venditio & emptio dividatur?

Resp. Dividitur (intellige, divisione minus strictè tali,) primò juxta jam dicta in eam quæ fit scriptis, & eam, quæ fit sine scriptis. Quarum hæc non ideo dicitur fieri sine scriptis, seu differt ab altera, quòd non æque super ea, quàm super altera confectum sit scriptum seu instrumentum; sed quòd, licet illud super ea confectum sit, uti fieri frequenter solet, independentè à tali instrumento jam in suo esse constituta sit, & vim obligandi habeat. Altera verò, quæ in scriptis fieri dicitur, non nisi post tote instrumentum ex conventionione contrahentium in suo esse constituitur, & vim obligandi habeat. Wiestn. *h. t. n. 13.* juxta dicta *quest. præced.* Dividitur secundò in naturalem, artificialem & negotiatoriam. Lauterb. *h. t. §. 7.* citans Molin. *l. c. d. 33. n. 2.* Naturalis, vel etiam economica dicitur illa, quâ quis emit illa, quibus ad sui suæque familiæ sustentationem & conservationem eget, venditque ea, quæ superflua habet absque ordinatione ad lucrum. Artificialis emptio dicitur, quâ quis emit eo fine, ut per industriam commutatum iterum vendatur. V. g. lana, ut inde conficiatur pannus. Avis, ut postmodum edoceatur loqui, cantare. Negotiativa, quæ res aliqua emitur ea intentione, ut integra & non mutata denuo cum lucro vendatur. Quam in se malam non esse, sed licit-